



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

7. Die Markgrafen Otto, Albrecht und Otto verkaufen der Stadt Berlin 10
Mark Brandenb. Jährlicher Hebung aus der Münze daselbst, am 4. April
1280.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

Signum Domini Henrici VI. Romanorum imperatoris inuictissimi et regis Sicilie. Ego Conradus Hildensemensis Episcopus, imperialis aule Cancellarius, una cum Domino Gualdo Troiano Episcopo et regni Sicilie Cancellario recognoui.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o. C^o. XC^o. septimo, indictione quinta decima, regnante Domino Henrico VI. Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XXVIII. imperii uero VII. et regni Sicilie III. Datum Linarie V. Kal. Augusti.

Nach einer Abschrift im Stend. Archiv (Nr. 1), welche dem 14. Jahrhundert angehört, bis auf die Unterschrift, die nach Gerdens Cod. III, 65, wo dem Abdruck eine andere Abschrift zu Grunde lag, hinzugefügt ist.

6. Grabchrift der Markgräfin Sophia, Gemahlin des Markgrafen Johann's I., vom 3. November 1248.

Anno domini MCCXLVIII. III. non. Nov. obiit Domina Sophia Marchionissa de Brandenburg, filia quondam Regis Woldemari II, hic sepulta cum prole sua de novo edita.

Inchrift des früher in einer besondern Kapelle des Minoriten-Klosters, seit der Reformation in der Nicolaitirche zu Stensburg beruhenden Leichensteines nach Moller, Isagoge, P. III, 285 und Angeli Chronika S. 101.

7. Die Markgrafen Otto, Albrecht und Otto verkaufen der Stadt Berlin 10 Mark Brandenburgischer jährlicher Hebung aus der Münze daselbst, am 4. April 1280.

Nos Otto, Albertus et Otto fratres, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, omnibus presentes literas auditoris et uisuris in perpetuum. Notum facimus tenore presentium publice protestantes, quod ciuitati nostre Berlin ad suos redditus augmentandos, decem talenta Brandenburgensis monete annuatim soluenda de moneta in Berlin, cum proprietate et omni iure, quod nobis in eadem competebat, sine omni exactione et conamine, pro certa pecunie quantitate uendidimus et liberaliter dimisimus perpetuo possidenda, et in usus ciuitatis, prout consulibus eiusdem expedire uidebitur, utiliter conuertenda. Ut autem hec nostra uenditio tam manifeste et rationaliter facta per nos nostrosque heredes perpetuo maneat inconuulsa, et ne aliquibus malignari uolentibus super ea occasio tribuatur, nec in aliquibus dubium oriatur, presentes literas de nostra scientia scriptas sigillorum nostrorum suffragiis fecimus communi. Testes etiam, qui presentes fuerunt, sunt Iohannes de Carprow, Arnoldus

Weyher, Iacobus de Nebet, Henricus de Polchow, nostri milites et uasalli;
Actum Spandowe, datum per manus Bruningi, curie nostre Notarii, A. D. I.
MCCLXXX pridie Non. Aprilis.

Aus der Sächsischen Sammlung.

8. Die Markgrafen Otto, Albert und Otto vergleichen sich mit ihren Vasallen und Untertanen
über die Bede, am 18. August 1280.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti amen.
Cum omnium habere memoriam et in nullo delinquere magis sit diuinitatis quam huma-
nitatis, eo quod diuine res permanentes sunt et in suo statu sistunt, humani autem gene-
ris condicio semper in futurum seu in infinitum decurrit et nichil est, quod in ea per-
petuo stare possit, nisi firmetur uocibus testium et testimonio literarum, ut si qua de hiis
que aguntur debeat obliuio, recursus ad scripture testimonium habeatur. Eapropter nos
Otto, Albertus et Otto, fratres, Dei gratia Brandenburgenses Marchiones,
notum facimus perpetuo tenore presentium publice protestantes, quod super omni genere
exactionis precarie et perangarie, in terram nostram vbilibet sepe facto, dimittendo de
cetero omni fraude et dolo sublati cum bona et sincera fide perpetuo quoque delendo,
cum terre nostre ministerialibus, militibus, armigeris, uasallis quibuslibet et subditis
uniuersis contractum manifestum fecimus et communem, Quem uasalli nostri ex parte sua
promiserunt fide prestita corporali et iurauerunt fideliter obseruandum, Nos quoque uice
uersa super sancta sanctorum iurauimus omnibus nostris uasallis promittentes manualiter
et expresse super predicto contractu, omne genus exactionis, precarie et perangarie per
totam terram nostram omnimodo esse mortuum et deletum, Preterquam si de consilio
nostrorum uasallorum munitionem aliquam processu temporis construemus, ad quam
constructionem cuiuslibet uasalli nostri subditi, qui possunt attingere, laborabunt corpo-
raliter et se denariis eximere non debent. Verum si in posterum aliquorum non sano
consilio uteremur, uolentes utique malignari contra iuramentum nostrum et promissum
fidei facere niteremur, uel nostri successores idem uellent facere et heredes, ex tunc re-
cognoscimus presentibus protestantes, omnibus nostris uasallis et ciuitatibus personaliter
iniunxisse, ut in nostra presentia primo prestita iuramento mutuo promittent data fide,
sibi in inuicem assistere fideliter et efficaciter toto posse, Tam diu nobis contrarii et
oppositi existentes, quo usque talem a se iniuriam remoueant seu uiolentiam eandem
totaliter compescerint, Pro quo ingratitude nostram uel odium incurrere non debe-
bunt. Vt igitur predicta omnia per nos nostrosque heredes, perpetuo inuiolabiliter ob-
seruentur et ne aliquibus malignari uolentibus occasio tribuatur, presentes literas de certa
nostra scientia scriptas sigillorum nostrorum suffragiis fecimus roborari, Mediantibus